



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae**

**Johann Hugo <Trier, Erzbischof>**

**Mogvntiae, 1688**

De Ministris Ecclesiae.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

In urbibus tamen, & oppidis & quò filiales pagi non conveniunt, tempus consuetum, similiter pro vesperis, catechesi, aut Salve Regina, observabitur.

## DE JURIBUS STOLÆ.

**I**N Concilio Provinciali Treviris sub Archi-Episcopo Joanne de Isenburg prædecessore nostro bonæ mem. anno 1549. celebrato, determinata quidem (extra Baptismi & Pœnitentiæ Sacramenta liberaliter administranda) fuerunt jura stolæ: interim tamen in his five ex ordinatione juxta ruralium decanatum diversas situationes, five ex parochianorum conventionem diversâ, five etiam ex introducta consuetudine difformitatem videmus. Idcirco cujuscunque loci consuetudinem quietam & pacificam observari, nec à Parochis innovari præcipimus, donec à Nobis aut Successoribus nostris aliud desuper determinare consultum & placitum fuerit. Improbamus interim, inhibemus, & cassamus, si absque nostra speciali licentia alicubi à quocunque, etiam tempore Synodi aut visitationis in puncto jurium stolæ quidquam innovetur. Pastores simul commonendo ut circa parochianos, quos quandoque inopiâ premi noverunt benignæ commiserationis, aut in toto, aut pro parte remittendo nullatenus obliviscantur.

## DE MINISTRIS ECCLESIAE.

### §. I. De Decani Ruralis Officio.

**P**Ræcipuum Decani officium est, parochorum eorundemque Vicariorum, ac ovium sibi, & illis commissarum vitæ, & moribus, conversatione, & doctrinâ suâ superintendere, aliisque invigilare; limites sui Decanatus, templa, cœmeteria, domus parochiales, vineas, agros, an bene sint culti, præsertim etiam scholas perlustrare, de numero juventutis scholasticæ, & quæ emanat à Ludi-Magistris accuratum catalogum exigendo, se informare, de reliquorum subditorum vita inquirere, incorrigibiles, scandalosos, concubinarios, aliosque juxta constitit. Prædecessoris nostri Archi-Episcopi Lotharii piiss. mem. Anno 1622. superioribus denuntiare.

Inventarium sacræ suppellectilis de singulis Ecclesiis & jurium, sicut & capellarum, altariumque copiam habeat. Computationes fabrica-

bricarum, ut tempore constituto benefiant, sollicitè curet juxta subjungendam infra in rubrica Ecclesiarum Magistri uberiorem informationem.

Cùm etiam Decani partes exigant, ut capitula quotannis convocando Pastores celebret, omni sollicitudine attendat, ut quicumque animarum regimini se se impendunt, sive in qualitate Pastoris, sive Vicarii perpetui: litteras Archi-Episcopalis aut Archi-diaconalis investituræ, nec non commissionis regendi, seu approbandi exhibeant. Si quid diffidii inter Pastores animadverterit, compositione fraternâ & amicabile studeat sopire graviora autem Officiali aut Fiscali deferet.

Quoties Capitularium aliquem periculosè infirmari intellexerit, eundem invisat, faciatque, ut Sacramentis muniatur, domuique suæ disponat, vel maximè tunc in memoriam revocando Salvatoris nostri saluberrimam instructionem: Date Eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. & illorum S. Hieron. in Ep. ad Nepot. *Nec memini me legisse malâ morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuerit;* quæ, quamvis omnes Christianos concernant, maximè decent Ecclesiasticos juxta ulteriora loc. cit. gloria sacerdotum, est pauperum inopiæ providere, & si infirmus (nisi id providè ante fecisset) dispositionem ultimam erigere vellet, sufficit id coram Parocho, & duobus testibus, ex privilegio SS. Canonum, ut anno 1682. die 5. Martii Archi-Episcopali decreto nostro Treviris, & Confluentiæ in Consistoriis nostris publicato, declaravimus fieri: quod, ut promptiùs agatur, Decanus de formula dispositionis bene ordinata sibi prospicere possit: sique infirmum Clericum vivis excedere contingat, curam decentis habeat sepulturæ, sicut & executionis piorum legatorum, nec non in quo statu domus parochialis ab hæredibus defuncti relinquatur, & ad Neo-Parochi succedentis ingressum, descriptionem, seu inventarium statûs domûs adhibitis duobus synodalibus fideliter conficiat, & hoc ipsum cum Parocho & synodalibus subscribat, & scriptis Capituli, seu Decanatus pro memoria futura adjiciendo conservari faciat.

*S. 2. De Pastoris vita, familia, re domestica, conversatione cum grege & sacris functionibus.*

**D**ignitatem & sanctitatem muneris pastoralis, seu animarum curatoris

ratoris, & obligationem in exemplo bono præbendo innuit gentium Doctor, dum ad gregis Christi curam sibi ascitum socium hisce instruit: *Esto exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, & castitate.*

*Exemplum fidelium,* ab hoc utique Pastores dicimur, non enim in SS. litteris qui vitæ pabulum seu animæ cibum gregi Domini præbent, sed illi boni Pastores dicuntur, qui oves suas præcedunt, & certum ac directum iter ad cœlestem beatitudinem ingrediuntur, adeoque exemplo demonstrant, ac tales etiam ipsæ oves requirunt, cum nihil sit, quod ad pietatem, Dei que cultum magis instruat, quam probata vita & exemplum, eorum præsertim qui divino se dedicarunt ministerio: nihilque e contra majorem rerum divinarum contemptum pariat, atque eorum improbitas. Unde ejusmodi perverfos, qui exemplum bonum negligunt, acriter arguit Dominus: *Væ Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: nonne greges à pastoribus pascuntur? lac comedebatis, lanis cooperiebamini, gregem autem meum non pascebatis.* Ubi illud væ quod alibi maledictis est comminatio, mortiferam culpam juxta Theologos ac script. interpretes, designat.

Ezech.  
34.

*In verbo in conversatione.* De verbo diximus supra de prædicatione ejusdem, cui, ut respondeat conversatio, necessarium est: vita enim animarum curatoris oportet, ut sit velut Aaronis virga, non tantum folia, sed & flores & fructus producens, in verbo in conversatione, non tantum doctrinam, sed & conversationem odoriferam habens, quid enim juvant verba sacre doctrinæ, si conversationis exemplo infructuosa reddantur? de quibus dici potest:

Gen. 27.

*Vox quidē vox Jacob est: sed manus sunt Esau.* Vox pii viri, sed exemplum in conversatione sive opera sunt hominis impii.

*In charitate.* Tantum debet (inquit Chryf.) is, qui præest, excellere charitate, quantum Saul, dum eligebatur, cæteros

cæteros præcallebat corporis magnitudine, ab humeris namque sursum. Unde primarius Pastor Petro commissurus gregis sui curam tertio interrogat de dilectione: *diligis me plus his?* nihil profecto Ioan. 21. cap. habet viriditatis ramus boni operis, nisi prodeat ex radice charitatis, quam etiam oportet esse geminam videlicet Dei & proximi: Pastor enim seu curator animarum quodlibet ministerium obiens, ad illud moveri debet zelo honoris divini, & zelo salutis proximi. In charitatis officio, duo maximè providenda sunt.

**U**num ut prudenti discretione utantur, & quæ præcipua pastoris virtus est, animi magnitudine, tum erga omnes, tum potissimum erga eos, quos per humanam fragilitatem peccare contigerit, ne dum animis mederi student, truculentiore hominis specie desperationem injiciant: cum plus sæpe erga corrigendos benevolentia agat, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio.

**A**lterum verò est ut magno adhibito studio curaque caveant, ne nimiâ familiaritate, aut comitate suâ, seu facilitate authoritatem & estimationem in contemptum inducant, hæc enim nisi maturâ severitate usuque temperetur, dici vix potest, quam facile parochis labem & coenum aspergant, præsertim, si eò se demittant, ut corporis recreationes etiam non malas cum illis suscipiant, aut solutiore animo jocos, & facetiis utantur. Unde facile conjicere poterit Parochus, quòd authoritatem etiam adimat tabernarum publicarum ingressus, provocatio ad æquales haustus, vino se obruere, chartis, aut aleis ludere, ludentes spectare, choreis & tripudiis se adjungere, inanibus spectaculis interesse, vana colloquiis immiscere, aut sales mordaces; quæ omnia cavenda voluit Apostolus, dum monuit: *Nemini dantes ullam* 2. Cor. 6. *offensionem, ne vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos ut Dei ministros.* Sicut autem virtutes cæteræ, sine geminâ Dei, & proximi charitate, nec animam habent, nec vitam, nec Deo placent, nec ullum placant; quod potissimum de charitate verum est, prout Doctor mellifluus, hoc ipsum scitè, expressit: *Castitas sine charitate lampas est sine oleo, tolle oleum, lampas non lucet; tolle charitatem, castitas non placet.* S. Bern. ep. 42. **Et**

**Et castitate.** Omnem cogitationem suam, dies, noctesque cò impendat curatus, ut purâ mente corporis castitatem jugiter sectetur, & si ullis aliis, tum sibi potissimum omnem libidinem & turpitudinem fugiendam, ac prorsus interdictam esse meminerit, certo sciens nihil justius exigi ab Ecclesiæ Ministris, nihil cum majore dignitate nihil cum fructu, & dulcedine spiritûs majore; nec est quod quis de rei difficultate conqueratur, cum enim qui castitatem à nobis requirit Deus, castitatis vim, & facultatem inferat, cordibus nostris per Spiritum suum S. hic autem spiritus bonus petentibus detur à Patre coelesti:

*1. Cor. 10. qui non patitur nos tentari supra id quod possumus;* quisquis non videt, quidquid ex hac parte delinquitur, ex nostra desidia, & negligentia fieri, ut qui Deum non eâ, quâ par est fide, invocamus, & studium non habemus, quod oportet? ac propterea paratas à justitia divina poenas minimè defuturas, nisi qui corpora sua Christo & æternæ pudicitiae consecrarunt, ea casta puraque confervent; si qui se contaminârunt, ad eximiam hanc verèque evangelicam virtutem totos iterum revocent atque convertant, sanctificationem perficientes in timore Dei.

**Q**uoniam verò permagni refert non modò causam è medio removisse, sed & omnem occasionem, quâ vel periculum innocentiae, vel scandalum, quoquo modo procreari possit, antiqua est, & probata Concilii Nicæni sanctio, quâ cavetur, ut neque Episcopo, neque presbytero, neque Diacono, neque ulli Clericorum omnino liceat habere secum mulierem extraneam, nisi fortè mater, aut soror, aut avia, aut amita, vel matertera sit: in his namque personis, omnis, quæ ex mulieribus est, suspicio declinatur. Quemadmodum & Trident. Concil. non concubinas tantùm prohibet, ipsas impudicitiae sordes, verùm etiam quascunque mulieres, de quibus vel suspicio haberi potest.

**Q**ui igitur sibi, uti revera debet, in re tanti momenti, in qua de animæ, & quidem ejusmodi periculo agitur, cui subvenire poenitentia non potest, nisi ipso facto vitetur, consulere desiderat, his tam necessariis & salutaribus Ecclesiæ constitutionibus obsequatur, necesse est; & non patiat, se tanto, tamque manifesto Ecclesiæ incommodo, suoque sempiterno exitio, ita imprudenter ad inferni cruciatus præcipitem agi.

**Q**uod si verò fuerit, qui divinam ultionem subire, quàm monitus vitam emendare malit, ille sanè se dignum probaverit, qui & hic non poenas

pœnas tantùm à SS. canonibus constitutas pro meritis subeat, verùm etiam exigente morbi gravitate à curatorum officio omninò deponatur.

**E**x magnitudine igitur rei, & pondere necessitatem metiendo, vitam ac familiam instituat suâ professione dignam, sicque domesticos suos informet, atque erudiat, ut ex eis parochiani quoque ad pietatem, quod imitentur, sumant exemplum.

**E**am etiam vitandi rationem ineat, quæ parsimoniam conveniat, & frugalitatis præbeat exemplum, ante omnia sobrietatem in mensa fervans apud quoscunque fuerit, in habitu reliquoque corporis cultu decentem modestiam, ut juxta edictum nostrum *ab omnibus per decentiam habitus extrinseci* <sup>Anno</sup> *morum intrinsecorum honestas ostendatur;* <sup>1680. 17.</sup> <sup>Aug.</sup> nec vestibus utatur nimium exquisitis, quod elati animi indicium est: nec sordidis impuris neglectisve, multò-minus laicalibus, aut prophanis, sed ordini, & dignitati congruentibus.

**P**ari studio supellectilem componat, ut cum honestate utilitati inserviat, & non ad ostentationem seu pompam, aut armis militum more: quorum loco libris, statui suo deservientibus, orationibus & jejunis rectè se munierit, neque canibus venaticis multò minùs tabellis lascivè pictis aut libris obscenè scriptis: nihil ut in tota domo appareat, quod à sancto instituto sit alienum, aut Dei zelum, & vanitatis contemptum non præ se ferat: seque agnoscat non ad propria commoda, aut luxum, sed ad labores & sollicitudines pro Dei gloria vocatum esse.

**S**i autem ut præfertur animi, ac vitæ puritas ad divinæ legis vim tradendam requiritur, ea quoque requiritur ad administranda Sacramenta, maxime verò ad conficiendam Eucharistiam & Sacrificium, in quo author ipse sanctitatis continetur, & fons, à quo ad nos manat, quidquid est rerum bonarum. Quare evigilet tandem Parochus deque hujus sacrificii necessitate, ac cœlesti vi ita suos edoceat, ut intelligant, non certam tantùm, sed potissimam rationem Dei colendi, & salutis consequendæ in hoc jugi sacrificio consistere, atque ob id non solum non negligendum sed intimi animi ardore frequentandum esse, ne ipsorum culpâ eveniat, ut hic tantus thesaurus cœlestium virtutum, Deique erga nos immensæ charitatis munus, frustra in eos collocatum videatur.

Ad quod præstandum, Parochus diligenter notet. Primò ut ex mandato S. Trident. Synodi frequenter ex illis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponat: atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declaret: diebus præsertim Dominicis, & festis.

Quia verò maximè decet sacris & tremendis mysteriis præter solennes ritus, quibus eorum majestas ostenditur, cultum & munditiam externam adhibere, quò quantum est in nobis, sanctitati eorum confu- latur, & populus fidelis magis ad sublimium rerum, quæ in eis oc- cultatæ sunt, contemplationem erigatur cura diligens à Parocho adhibeatur, ut in altaribus decenter ornata & mundata sint omnia: uti sunt lintea, pallæ, calices, purificatoria, corporalia, ve- stes, urceoli, & quæcunque alia ad hujus sacrificii confectionem necessaria, quorum pleraque ut calices, patenas, purificatoria, corporalia ne tangi quidem licitum est (extra summam necessi- tatem) nisi à consecratis, à quibus etiam solis eluenda & mun- danda sunt; Idque creberrimè, ne quid minùs nitidum perspi- ciatur. An enim non turpe est, & ingens peccatum, quem findoni mundæ mortuum, secundùm corpus impostierunt Chri- stum videlicet Dominum nostrum; jam vivum, & nunquam moriturum ea immunditiâ excipi, quæ ne in prophanis qui- dem deceat.

Hæc ferè sunt, quæ maximè à Pastore observari oportet, re- liqua enim quæ in hac parte providenda esse videntur, ad hæc ipsa capita rediguntur, aut in informatione de Sacramentis inserta, & explicata sunt, ut in nullo magis enitendum Pastori, quàm ne quid horum segniter, sed omnia insigniter præstet; Quo tan- dem, postquam laboribus pro Christi gloria, & animarum salu- te perfunctus, diem suum obierit, sit dignus, qui cum Christo principe Pastorum, fidelium fervorum aut operariorum numero adscribatur supra multa constituendus.

## DE COOPERATORIBUS IN CURA- tis aliisque functionibus.

**A**ttendat Pastor ut nullus Sacerdos five sæcularis, five regi- laris, etiam exemptus, ad ministracionem Sacramentorum & præcipuè Confessionum audiendarum munus, aut prædica- tionem